



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses**

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Acta Apostolorum to. primus

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

24. Ecce, donavit tibi Deus omnes qui nauigaut tecum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39424**

## CAP. XXVII.

24. *Ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.*

**Q**VAERIT hinc Calvinus quatenus impijs profit Sanctorum integritas. Et quum alias causas inquirat, eorum vel intercessionem vel merita impijs prodesse nullo modo patitur. Sed nec ad aliquas Pauli preces eorum hominum vitam Paulo Deum dedisse libenter agnoscit. *Potest, inquit, fieri ut Dominus sponte eius preces anteverterit.* Tum addit, *benedictionem ad indignos extendi, qui aliquo societatis nexu fidelibus sint coniuncti: sicuti Sodomæ pepercisset Deus, si decem iusti illic reperti fuissent.* Tandem ob certas causas, Deum in gratiam fidelium malis & reprobis benefacere, *ut aliqua gratia ipsis fidelibus praestetur ab impijs, quo respectu domum Putipharis propter Ioseph. Deus benedixit: vel ad suæ gloriæ commendationem, ut hinc propter Paulum multos servavit, ut inde eluceret Evangelij maiestas.* Atq; hæc sanè causæ improbandæ non sunt. Sed verò aut meritis aut intercessioni Sanctorum aliquid à Deo tribui non ferens Calvinus, sic in Catholicos incurrit: *Tollenda est hic Papistarum superstitio, qui dum audiunt in gratiam piorum malis benefieri, illos somniant mediatores, qui meritis suis mundo salutem impetrent.* Hoc

Catholicorum iudicium superstitioni esse affine quomodo probat Calvinus? In eo, inquit, *bis stulti sunt & praposteri, quod hæc viuentium elogia trahunt ad mortuos, nec ali' er quam eorum intuitu Deum sibi fore sperant propitium.* Quid ergo? De Sanctis saltem viuentibus hoc concedit Calvinus? De illis vafèr hæreticus nec negat nec affirmat, quum de Paulo viuenti hæc questio mota sit, sed ad mortuos disputationem vertit, quod facilius reprehendi posse putabat. Nos verò tam viuentibus hæc Sanctis, quàm cum Christo in cælo regnantibus, imò magis istis quàm illis, hanc à Deo gratiam fieri orthodoxè asserimus, *non quidem vt meritis suis salutem mundo impetrent, quasi salutis hominum authores aut mediatores qualis Christus erat, (qui Calvinus sensus esse videtur) sed vt meritis ac precibus suis varia mundo beneficia impetrèt, veluti intercessores, & hoc quidem nomine mediatores.* Sanctis autem in cælo regnantibus hoc magis & potius tribuimus, propter maiorem illorum in cælo erga nos charitatem, & maiorem apud Deum fauorè ac gratiam. Nec hæc nostra hodie speculatio aut adinuentio est, sed à maioribus nostris, à doctissimis Ecclesiæ Patribus hanc doctrinam accepimus. *Si Paulus quum hic esset (ait S. Chryostomus) vsque adeo dilexit homines, vt cum dissolui & esse cum Christo cupiuerit, tamen hic esse elegerit; multa magis illic seruentiorem amorem ostendet.* Idem de S.

Calvini  
astutia.

Sanctorum  
pro nobis  
intercessio  
defenditur.

Hom. vii.  
in Epist.  
ad Rom.

de S. Stephani charitate colligit S. Hieronymus in libro aduersus Vigilantiū. S. quoque Cyprianus in lib. de mortalitate, *Sanctorum in cælo turbam de sua iam incolumitate securam, de nostra salute sollicitam esse* scribit. Quam sententiam, vt pietati consonam, citat Beatus August. de prædest. Sanct. cap. 14. Quod autē addit Calvinus, *nō aliter quā Sanctorum intuitu Deum nobis fore propitium, nos sperare,* Cal. putidū mendacium. putidum est sed Caluino solemne mendacium. Illud quidem medium accipimus, sed non illud solū, imò nec veluti primarium, sed veluti secundarium.

Sed hoc suum tam putidum mendacium probare vult. Audiamus. *Ideoque* (inquit) *patronos sibi asciscunt.* Vide stupidum insulsi hominis cauillum: Catholici Sanctos in cælo regnantes patronos sibi asciscunt: ergo non aliter quā eorum intuitu Deum sibi fore sperant propitium. Quis consequentiæ stupiditatem non videt? Similia tamen cauilla eius turpitudinem magis illustrabunt. Paulus Corinthiorum preces flagitat, vt multitudo precātium faciliorem ei gratiam ac fauorem impetret. *In quem speramus, quia & ad huc eripiet, adiuantibus vobis in oratione pro nobis: vbi eos sibi apud Deum adiutores, intercessores, & patronos asciscit.* Ergo Paulus non aliter quā Corinthiorum intuitu Deum se è tribulationibus erepturum sperabat. 2. Cor. I. 11.

rabat. Atqui statim premiserat: *Non sumus  
fidentes in nobis, sed in Deo, qui de tantis periculis  
nos eripuit & eruit.* Rursum, habeo in causa fo-  
rensi, in negotio apud Principem, in studijs  
meis literarijs, patronos, intercessores, ma-  
cenates. An ideo concludes, me non aliter  
quam horu[m] intuitu sperare vel causam ob-  
tinere, vel negotium optatum conficere, vel  
studia prosequi posse; aut idcirco omnem in  
Deo spem me abijcere, quia humanis & ho-  
nestis medijs vtor? Quis huiusmodi cauilla-  
torem e[st] rostris, e[st] tribunalibus, e[st] scholis non  
exhiberet? Huiusmodi tamen, & non alia,  
sunt contra religionem Catholicam ipsius  
Caluini argumenta, qui caeteris acutior,  
callidior, diligentior, non sine causa ha-  
betur.

Sed habet adhuc alia quae nobis obijciat  
cauillator iste strenuus. *Omitto (inquit) quod  
Sanctorum merita extollendo, gratiam Dei boni-  
tatem obscurant.* Putidum quoque & istud.  
An quum Scriptura de Dauide dicit, *Inue-  
ni David virum secundum cor meum, qui faciet om-  
nes voluntates meas;* aut Lucas quum de Za-  
charia atque Elizabetha diceret, *Ambo erant  
iusti coram Deo, incedentes in omnibus mandatis &  
iustificationibus Domini sine querela;* aut Paulus  
quum de se ipso ita scriberet, *Bonum certamen  
certavi, fidem seruavi, cursum consummaui; re-  
posita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi in  
illa die*

Merita  
Sanctorum  
Dei boni-  
tatem gra-  
tiam non  
obscurat.  
Act. 13.  
Luc. 1.  
2. Tim. 4.

illa die iustus Iudex; aut denique Propheta  
 quum in persona Dei diceret, *Protegam civi-* Esaix 37.  
*tatem hanc propter me, & propter David servum*  
*meum;* omnibus istis in locis quia merita  
 Sanctorum prædicantur, ideo Scriptura, il-  
 la extollendo, gratuitam Dei bonitatem  
 obscurant? Quis, nisi profanus, impius, &  
 atheus quispiam, Sanctorum virorum me-  
 ritis Dei gratuitam bonitatem obscurari di-  
 xerit? Quis nõ potius Dei gloriã & gratui-  
 tam bonitatem illis maxime illustrari dix-  
 erit? Meminisse Calvinus debuit quod in  
 Euãgelio Christus dicit: *Luceat lux vestra do-* Matth. 5.  
*nam hominibus, ut videant opera vestra bona, &*  
*glorificent Patrem vestrum qui in caelis est.* Merita  
 Sanctorum Deum glorificant, eius gratui-  
 tam bonitatem illustrant, non obscurant.  
 Sanè quia omnia Sanctorum merita, omnia  
 iustorum bona opera à gratuita Dei bonita-  
 te, ab eius gratia præueniente, adiuvante, &  
 perpetuò cooperante ortum suum, progres-  
 sum, & perseverantiam accipiunt. Sed im-  
 pius Calvinus, cæteri que Calvinistę omnes,  
 nullam aliam gratuitam Dei bonitatem agno- Gratuita  
 Dei boni-  
 tas non in  
 sola remis-  
 sione pec-  
 catorum  
 consistit.  
 scunt quàm in sola remissione peccatorum,  
 & hanc per Sanctorum merita obscurari  
 volunt. Quasi verò gratuita Dei bonitas, seu  
 (ut Paulus) *gratia Salvatoris nostri Dei apparuis-*  
*set hominibus ad solam remissionem pecca-* Tit. 2.  
*torum, ac non multò magis ad totius vitę*  
 nouam

Sc 5 nouam

nouam sanctitatem ac puritatem instituen-  
dam, de qua mox subiungit: *Erudians nos, vt  
abnegantes omnem impietatem & secularia deside-  
ria* (idque non voto tantum, studio & cona-  
tu inani, per quam rimam effugere vult  
Caluinista, sed de facto) *sobriè, iustè, & piè vi-  
uamus in hoc seculo. Viuamus de facto, veram  
de facto sobrietatem, iustitiam, pietatem co-  
lamus. Ad hoc apparuit gratia Saluatoris nostri  
Dei omnibus hominibus. Hæc est gratuita Dei  
bonitas, vt facta remissione peccatorum,  
facta veteris vitæ depositione, facta omnis  
impietatis abnegatione, bonis operibus in-  
sudemus, sobriè, iustè, ac piè viuendo. Hæc  
gratuitam Dei bonitatem non obscurant,  
sed illustant. Hæc quò magis extolluntur,  
prædicantur, & à Deo remunerantur, eò  
magis gratuita Dei bonitas, omniū illorū ra-  
dix, fomentū, incrementū, extollitur & illu-  
stratur. Catholicorum igitur circa Sanctos  
inuocandos, aut eorum patrocina, piera-  
tem tota hæc Caluini cauillatio non sustu-  
lit; sed cauillatoris variam vanitatem magis  
ac magis aperuit.*

---

CAP.